J. Medina (19.X.65)
1
GS/14B

Ad expositionem introductivam
Pag. 5 foliorum roneotypice reproductorum, inde a lin. 16, substituatur per textum sequentem:

Homo conscius fit ipsius esse recte dirigere vires quas ipse suscitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt. (Quae si ab eius imperio dependere videntur, eius tamen voluntati non perfecte oboediunt). Unde seipsum interrogat.

De interrogationibus profundioribus hominis.

9bis (Problema fundamentale). Revera in aequilibrium mundi moderni cum magis fundamentali inaequilibrio connectitur, quod in corde hominis, quamdiu vivit, situm habet. Ipse homo enim in seipso elementa invicem oppugnantia colligit. Utpote creatura, limitatus est; in desideriis vero suis non limitatur adque ipsam vitam Creatoris sui participandam vocatur. Multis sollicitationibus attractus, indesinenter seligere et quibusdam renuntiare cogitur. Debilis ac peccator, saepe saepius facit quod non vult, et non facit quod facere vellet; unde in seipso divisus invenitur.

Sane plurimi homines, suae vitae conditionibus, a clara huius dramatis perceptione impediuntur vel avertuntur. Quidam a solo conatu humano veram ac totalem generis humani redemptionem exspectant, sibique persuadent futurum regnum hominis super terram exsecuturum esse promissiones, quarum impletionem fides a solo Regno Dei sperat. Non pauci, de sensu vitae tribuendo desperantes, audaciam laudant eorum qui existentiam nulla significatione insignitam acceptant eamque pro lubitu suo ordinant. Attamen coram hodierna mundi evolutione, (praesertim coram crescente hominis imperio super naturam, vitam atque seipsum), numero quotidie crescunt qui quaestiones maxime fundamentales vel ponunt vel nova acuitate persentiunt: quid est homo? Quisnam est sensus doloris ac mali, quae etiam in summo progressu subsistunt? Ad quid victoriae illae, pretio tantorum conatuum (~~lacrymarum et sanguinis~~) acquisitae? Quid finaliter ex illis omnibus servabitur?

Wojtyla: simplicem.

christianorum • Ecclesia • Christiana.

supr.

?

Quid homo societati afferre potest, quid ab ea expectare.

Coram diversis huiusmodi quaestionibus, quae omnes ad problema ipsius hominis referuntur, Ecclesia, libertatem et legitimam autonomiam hominis servans, eum ad responsum detegendum adiuvare intendit (Non omnibus humani ingenii quaestionibus concretam solutionem proponendam habet; quinimmo, quaestiones illae multiplicesque inventiones decursu saeculorum ab homine peractae ipsi occasionem praebere queunt ad propriam suam fidem penitus intelligendam). Cum omnibus ad communem utilitatem sincerum colloquium inire desiderat.

PATRIMONIO UC

Firmiter credit

Scit autem Ecclesia Christum, (benignissimum) Dominum ac Magistrum suum, clavem, centrum et finem esse tum hominis tum totius humanae historiae. Firmiter credit solum Dominum, pro omnibus mortuum et resuscitatum, homini per Spiritum suum vires praebere posse, ut summae suae vocationi respondeat, hominemque, sive noverit sive non noverit Christum, nonnisi per Illum salvari. Ab Eo, vero Deo et vero homine, exspectat Ecclesia Regnum iam praesens et tamen futurum, in quo Regnum Dei et regnum hominis ad unitatem pervenient.

Naturalis humanae sensus plene redintegratur.

Ideo sub lumine Christi, imaginis Dei invisibilis et Primogeniti omnis creaturae, Concilium omnes alloquitur ad hanc fidem totius Ecclesiae testificandam.

Relatio de num. 9 bis.

Textus confectus est ad vota plurimorum Patrum implenda, de mandato Subcommissionis Centralis, a parvo coetu in quo i.a. Rev. Haubtmann et Ratzinger laboraverunt.

Intentio textus est:

ultra descriptionem sociologicam, etc. pervenire ad intimum cor hominis, in quo problema fundamentale ponitur. Homo enim, licet sit creatura limitata, ad vitam aeternam vocatur;

insuper indesinenter exponitur peccato, de quo hic magis descriptivo modo agitur, dum postea magis de eius profunditate theologica tractabitur (in P. I, Cap I);

denique Ecclesia seipsum ut respondentem praesentat, non ut pro omni problemate completam solutionem concretam praebeat, sed ut, omnibus cooperantibus, ad solutionem perducat;

quod fieri nequit nisi sub luce Christi.

Ita etiam transitus obtinetur ad expositionem doctrinalem Partis primae.

PATRIMONIO UC